



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad  
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo  
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Quarta congregatio publica.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10502**

Synodum referre velit, liberè id agat. Assurgens prædictus Procurator Aibensis quædam, Canonorum, & Capituli Aibensis nomine proposuit, eiq; ab Illustris. Metropolitanò responsum est.

Vicarius in Episcopatu Vigintimillien. quæ Ecclesia nunc vacat, cõparuit, & obtulit mandatum suum Illustris. Metropolitanò, tanquam procurator Illustris. Cardinalis Lomellini, qui antea fuerat Episcopus Vigintimillien. & fuit translatus ad aliam Ecclesiam. Cũ omnium esset silentium, Secretarius dixit. RR. D. D. die Lunæ xxij. præsentis Mensis hac eadem hora erit Congregatio publica. Omnes poterunt cogitare, si quid eis verbo, aut scripto ad sanctam Synodum referendum videbitur. nunc autem si nemo est præterea qui loqui velit, exeant omnes præter Procuratores Episcoporum, & Capitulorum: & ita omnes exierunt.

Illustris. Metropolitanus satis longam orationem habuit de Seminario Clericorum instituendo.

Qua absoluta res agitari cepta est. Illustris. Metropolitanus dixit, se quidem omnia quæ allata fuerat audiuisse, daturumq; operam, vt quò ad eius liceret, omnium ratio habeatur; vt tam præclarũ opus quod vnum maximè summo Pontifici cordi erat, in singulis Ecclesijs quã primum inchoari posset, & Deo adiutore optimè progredere. deinde subdit: Hastenus operam dedimus, vt multa colligeremus, quæ ad salutem huius Prouinciæ videntur maximè necessaria; quæ quidem cùm adhuc non ita distincta sint, vt vobis proponi debeant; ea ad proximam Congregationem referuamus, mandamusq; vt hoc ipso in loco decreta legantur, quæ deinde ex vestro Consilio atque assensu in sessione publicari possint.

Cũ hæc dixisset, paulũ perstitit expectans, si quid à quoquã diceretur. Nemine loquente, surrexit è sella, vt in interioribus cubiculum cum Patribus ad priuatas consultationes de negotijs Synodi secederet. Tunc procuratores Capituli Nouariensis petierunt, vt nihil fieret in ijs quæ ad Capitula pertinebant ipsis inconsultis, & vt eis darentur ex-

plaria decretorum si quæ fierent, & spatium ad cogitandum. Illustris. Metropolitanus respondit, se vnã cũ sancta Synodo, pro eo ac æquũ esset, illorũ rationem habiturum: ipsi verò, & cæteri, si quid haberent, adirent Reuerendis. Deputatos, quibus omnia exponerent, & à quibus suo tempore audiret, quid sancta Synodus in negotijs quæ ad capitula aliã qua ratione pertinebant, statuendũ decreuerit. Tunc & alij quamplures Capituli Procuratores idem dixerunt, & nonnulli asseruerunt sua capitula idem petere, quod petissent paulò ante Procuratores Nouariensis.

Interfuerunt huic Cõgregationi omnes Patres, præter Illustris. Tranensis, & Reuerendis. Aibensis. Illustris. Vercellensis sedit sub umbella ad sinistram Illustrissimi Metropolitanì.

#### Tertia Congregatio publica.

**D**IE Lunæ xxij. Octobris supra scripti, Habita est hæc Congregatio vtsupra.

Leſtaq; sunt Decreta de professione fidei, & consequenter ea quæ ad reformationis negotium pertinent, vt ab Episcopis approbata, postea publicari possent.

#### Quarta Congregatio publica.

**H**abita est Feria quarta die xxiiij. Mensis Octob. supra scripti anni 1565. vtsupra. Cũ paulũ expectatũ fuisset, an quis ad dicendum surgeret, Secretarius dixit. Si nemo est qui præterea loqui velit; exeant omnes, præter Procuratores Episcoporũ absentiu & Procuratores Capitulorũ Cathedralium, & Procuratores Cleri Mediolani, quia petierunt audiri, id enim paulò ante priuatim ab Illustris. Metropolitanò petierant, cum omnes exissent, & ianua esset clausa, quidam totius cleri nomine orationem habuit contra decretum de cohabitatione clericorum cũ mulieribus.

Illustris. Metropolitanus breuiter ac summa cum grauitate respondit: singulis Episcopis à sacris sanctionibus maxi-



maximam facultatem tribui ad ea statuenda, quæ ad vitæ & morum disciplinam suorum populorum pertinere iudicauerint; quantum id eis magis in Synodo congregatis licere? Quot scādala ex Clericorum, & mulierum cohabitatione oriri soleant, neminem esse qui ignoret: quod si de matre & sorore, & alijs ita coniunctis nihil ab honestate alienū suspicandū sit, alias tamen mulieres quæ ad illas frequentee accedunt, illarumq; familiares sunt, itemq; cæteros Clericos, qui cognati non sunt, suspitione non carere. Quod ad pauperes attinet, illorum se, & sanctā Synodū, quantum honestè poterit, rationem habiturum. scirent Episcopos illorū Parentes esse & Pastores; nihilq; vehemētius cupere, quàm illorum salutem, illos vnice diligere tanquam filios carissimos; quos florentes esse, bonisque abundare maximè cupiunt; quando quidem omnis ipsorum gloria in ipsis filijs splendet. Irent igitur, scirentq; ipsum vnà cum sancta Synodo operam daturum, vt ea statuatur, quibus Clericali disciplinæ, animarumq; salutem optimè consulatur. Ipsi verò pro eo ac deberent, Synodi decretis parendum atque obtemperandum fore.

Quæ cum dixisset, Secretarius habes multa Decreta in manibus dixit: Illustrissimi & Reuerendissimi Domini, Reuerendissimiq; Patres, hæc sunt decreta ab Illustrissimo Metropolitano condita, quæ si sanctæ Synodo placuerint, vnà cum reliquis iam approbatis cras in sessione publicabuntur. Deinde legit Decreta. Et cum silentium esset, asurgens Reuerendus D. Nicolaus Colonius Procurator Capituli Bergomen. dixit, Iniectum esse scrupulum animis Procuratorum omnium Capitulorum Cathedralium, an ipsorum taciturnitas in Congregationibus, dum legebantur Decreta, præiudicium aliquod suis Capitulis, & Clericis afferret. Propterea petere à sancta Synodo omnium nomine, vt hanc dubitationem tolleret; Iuberetq; legi schedulam quandam, quam ipse super hoc negotium attulerat. Illustriss. Metropolitanus permisit vt ipsemet legeret; qui clara vo-

ce legit protestationem tenoris huiusmodi: Illustriss. & Reuerendiss. Domine, Reuerendissimiq; Patres. quoniam antequam leges præscribantur, ad consultationem, vt Capitulis significatum est, non vocamur, & simplici auditione ipsarum legum scriptarum, quæ variæ sunt & multiplices, intelligere non possumus, an per eas Capitulis & Clericis aliquod fiat præiudicium; cum debita reuerentia petitur, vt aut concedatur nobis ipsarum legum copia, aut alia aliqua ratione huic nostræ postulationi satisfiat; vt liceat nobis ei muneri satisfacere, p quo huc missi & vocati fuimus; aliter cogemur protestari nos eas leges in parte tantum admittere; prout etiam protestamur, nos aliter ipsis nõ assentiri, si hæc nostra postulatio reiiciatur, quam obtulimus; nè taciturnitas nobis aliquod valeat parere præiudicium.

Quibus dictis Illustriss. Metropolitanus interrogauit ipsum, an haberet mandatum a cæteris Procuratoribus, quandoquidem ipse omnium nomine verba fecerat.

Tunc asurgentes Procuratores Capitulorum Brixien. Nouarien. Vigliuanen. Casalen. Cremonen. dixerunt idem se petere nomine Capitulorum suorum, quod Bergomen. Procurator petierat.

Procuratores autem Capituli Ecclesiæ Mediolanen. expressè protestati sunt, se prædictæ protestationi non consentire.

Illustriss. Metropolitanus per Secretarium iussit illos exire, & tantisper expectare, donec intro vocarentur. exierunt omnes, & soli Patres inter se deliberare cæperunt, quænam eis responsio danda esset. Cum variæ essent sententiæ, visum est maiori parti leniter cum illis agere. Vocatus est Nicolaus Colonius qui verba fecerat, & eum seorsum duobus ex Patribus sunt alluquuti, multisq; verbis conati sunt ei persuadere, nihil magis cupere Illustriss. Dominum Metropolitanum & sanctam Synodum, quam eis quibus in rebus possent satisfacere. Propterea inique illos agere, qui summa humanitate vocati & admissi, huiusmodi protestationibus uterentur. Tunc ille



ille paratum se esse respondit, Patrum voluntati parere, omnesque in sanctæ Synodi potestate futuros. Itaque vocati intro omnes, Idem Nicolaus Colonus protestationem paulò ante à se factam reuocauit, tam suo, quàm aliorum nomīne, eamque perinde haberi voluit ac si non esset facta, tum Reuerendus Iacobus Franciscus Cardanus Synodi Promotor Notarios vocauit, vt huiusmodi reuocationem in acta referrent. Cumq; in gratiam præfatorum Procuratorum in Decreto sub titulo de Clericalibus ædibus addita essent infrascripta verba: nisi Episcopus in alicuius vrgenti necessitate, aliter faciendum esse duxerit, cuius Conscientiam in hoc valde oneramus; & addita essent etiam nonnulla verba in Decreto quod incipit Nè Parochi. sub eodem titulo, & deinde omnes confedissent, Illustris. Metropolitanus illos humanissimè est alloquutus, nihil sibi & sanctæ Synodo magis cordi & caræ esse, quàm vt ipsis quàm maximè satisficeret: eo loco tractari materias non definiri, quod propriè in sessionibus fit: aduocari illos vt liberè loquatur si quid eis ad Synodum referendum videretur, hac de causa legi Decreta, vt si quæ occurrant, illorum dubitationes audiantur.

Synodum equi boniq; consulturã, quidquid ab eis diceretur, quæ igitur in his decretis eis grauiã viderentur explicarent, Insurum se iterum Decreta legi, vt planius & apertius omnia percipiant: si quid esset difficultatis, Synodum rationem reddituram. Petierunt legi Decreta de non locandis Domibus Beneficiorum Laicis, De cohabitatione Clericorum cum mulieribus, & de residendo Parochialibus, etiam si Canonicatus in Cathedralibus haberent. satisfecit illis in omnibus Metropolitanus: Decretorum equitatem & honestatè ostendit. De extremo quod grauißimum videbatur, id ex Concilij Tridentini mète esse dixit, & Sanctis. D. N. id etiam apertius declarasse, nec quidquam noui constitui. denique verbis humanissimis, suam, & Synodi totius erga illos pietatem & benevolentiam indicauit, iussitque illos bono animo esse, sibi que sem-

per priuatim cum vellent, aut sanctæ Synodo, verbo aut scripto quidquid videretur referrent.

His peractis statutus est dies tertius Nouembris ad proximam sessionem celebrandam.

Quidam Procuratores Capitulorum petierunt, an eis liceat ad suas Ecclesias reuerti, præsertim in aliquib<sup>9</sup> festis diebus, & deinde tempore sessionis redire.

Respondit Illustris. Metropolitanus, si plures sint Procuratores, potest vnus recedere, & id quidem vicissim, modò hic vnus aliquis semper remaneat. quibus dictis soluta est Congregatio.

#### Secunda Sessio.

Eodem Anno, Indictione, & Pontificatu, feria quinta xxv. mensis Octobris celebrata est secunda sessio sacri Concilij Prouincialis Mediolan. mane hora decimasexta conuenerunt Patres omnes ad Ecclesiam Maiorem. Reuerendis. Vigleuan. celebravit Missam de Spiritu sancto solenni more, ex Instituto Diui Ambrosij. Illustris. Metropolitanus sedit cum duobus Cardinalibus sub umbella ad dextrum cornu altaris cum pallijs seu cappis purpureis; Ita vt non medius inter Cardinales, sed primus propius Altari sederet. Missa absoluta R. P. Benedictus Palmius latino sermone orationem habuit. Illustris. Metropolitanus accessit ad cornu sinistrũ Altaris ad faldistorium, & indutus est solitis Pontificalibus ornamentis, & veste sacra: Itidem & Patres sua Pluuialia & Mitras induerunt, dicentibus interea Cantoribus psalmum. Quàm dilecta tabernacula &c.

Illustris. Metropolitanus sacro ornatu ad altare accessit, dictæque sunt orationes, hymni & litanæ, solenni ritu & cæremonijs de more. omnibus absolutis, secretarius accessit ad Illustris. Metropolitanum, & de eius manu accepit Decreta, quæ publicanda erant: & ascenso ambone legit hæc verba: Hæc sunt decreta, quæ proponuntur sanctæ Synodo ab Illustris. & Reuerendis. Domino Carolo Borromæo S.R.E. Prefbytero Cardinali, ac p vniuersam Italianam Sanctis. D. N. Papæ, & sanctæ Sedis